

Johannes Vorst Christoph Meier

De Causa Per Se, Et Per Accidens; Itemque De Physica Et Morali Exercitatio

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730150593>

Druck Freier  Zugang



RU phil N. 52

Johann Versteher
Christoph Meier



ΣΥΝ ΘΕΩ

DE

14
53

CAUSA PER SE,
ET PER ACCIDENS;

ITEMQUE DE PHYSI-
CA ET MORALI

EXERCITATIO,

QUÆ

IN ILL. ACAD. ROSTOCH.

PLACIDÆ VENTILATIONI

SUBIICITUR

A

PRÆSIDE

M. JOH. VORSTIO,


ET

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO MEIERO,

LUNÆBURGENSI,

ADD. XXVII. MARTII.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. LII.

IN III. ANNO ROSTOCH
CHRISTOPHORO MEIERO
M. J. VORSTHO.
ET PER ACCIDENS
GABRIEL PER
DE
ZIN OER



libet de causâ quædam commentari: non in universum, sed de efficiente modo, & hujus quidem divisione in causam efficientem per se & per accidens: itemq; in physicam & moralem. Antè omnia autem observandum proponimus, vocabulum *causa* multis modis dici: quemadmodum & Græcum αἴτιον, cui illud in omnibus significatibus respondere vulgò jubetur. Ita nimirum fit inter philosophandum, ut vocabula, quibus res à se invicem separemus, vel ex trivio petantur, vel noviter, & certâ quidem oratione, fabricentur. Quæ ex trivio petuntur, his vel communis ac vetus significatio relinquatur, vel imponitur nova quædam. Porro cum nova imponitur, sic illud fit, ut ad alterius linguæ vocabulum vel non respiciatur, vel respiciatur omnino. Ut autem significatio quæ imposita est, à cæteris quoq; observetur, & rata quasi habeatur ipsa impositio, facit ipsorum doctorum Virorum autoritas, qui rebus philosophicis plurimam operam navant. Aristoteles in suis philosophematis recenset non semel quatuor generum αἴτια. Ad eum igitur modum Philosophi nostræ ætatis, Latine philosophantes illi, quatuor generum *causas* numerant: & quod ad illud quidem attinet, cum Aristotele satis consentiunt. Est verò in quo nimium quantum iidem discrepant, in eo puta, quòd vocabulum *causa συνωνύμως* de efficiente, materiâ, formâ & fine dici credunt, quodq; unam quandam generalem definitionem causæ cudunt, quam efficienti, materiæ, formæ, ac fini applicent, atq; ita *de causâ in suâ latitudine* se agere dicunt. Non ignota est pervulgata ista definitio causæ, quam indigitamus. Eam quidem in præsentia non imus destructum: ostendemus tamen, eam menti Aristotelis parum congruere. Hic igitur cum non semel recenset quatuor causas, & exemplis eas illustret, definitionem *cause*, ut generis cujusdam, nusquam dedit. In quinto Metaphysicorum, in quo vocabulorum homonymias & varias significaciones Philosophus exponit, agit itidem de causis, & tractationem quidem sic orditur: αἴτιον λέγα-

ταί ενα μὲν τρόπον, ἐξ ἧς γίνεται π ἐνυπάρχοντ^ς, Uno modo αἴτιον
dicitur ex quo inexistente aliquid fit. Talibus verbis Philosophus, homo-
 nymias exponere solet vocabulorum; non unam generalem definitio-
 nem tradere, secundum quam vocabulum pluribus competere possit.
 Et istorum quidem verborum quæ produximus, hic utiq; intellectus
 est, *vocem αἴτιον uno modo significare materiam.* Hanc quippe sæpissime
 describit istis verbis, ἐξ ἧς ἐνυπάρχοντ^ς γίνεται π. Datur igitur in-
 telligi, aliis modis idem vocabulum significare alia, sive de aliis dici.
 Et subdit sanè illico Philosophus talia: ἄλλον ἢ (τρόπον) τὸ εἶδ^ς καὶ
 τὸ ὡροδευγμα, alio modo species & exemplar (dicitur αἴτιον.) Sequitur
 deinde: ἔπι ὅθεν δεχθὴ τῆς μεταβολῆς ἢ πτώσει, ἢ τῆς ἡρεμίσεως, Item
 αἴτιον dicitur illud unde est principium mutationis primum aut quietis, (quod
 vulgò efficiens vocare solemus.) Deniq;: ἔπι, ὡς τὸ τέλ^ς. Τῆτο
 δ' ἐστὶ τὸ ἔνεργα, Item (αἴτιον dicitur) illud quod est ut finis. hic verò illud
 est cuius gratiâ. Cum singula ista exemplis quoq; illustrasset, addit in-
 universum: τὰ μὲν ἔν αιτια χεδὸν πσαυταχῶς λέγεται. Καὶ συμ-
 βάνει ἢ πολλαχῶς λεγομένων τῶν αἰτίων, καὶ τὰ ἐξ. Tot igitur
 modis, (quatuor scilicet) ferè dicuntur αιτια. Cum verò multis modis
 dicantur αιτια, accidit &c. Hæc omnino mens est Aristotelis, vocem
 αἴτιον dici & de materiâ, & de formâ, & de efficiente, & de fine, sive o-
 mnia hæc appellari vocabulo αἴτιον: non autem dari posse unam gene-
 ralem definitionem cause, secundum quam vocabulum singulis com-
 petere possit. Eodem modo de vocabulis δεχθὴ, φύσις, ποιχείον, ἐν,
 plurimisq; aliis in dicto libro idem Philosophus differit: ut nim. varias
 significationes istorum vocabulorum exponat, non autem singulo-
 rum tradat unam quandam definitionem secundam quam vocabula de
 pluribus dici possint; quemadmodum nos vocabuli homo unam defini-
 tionem tradere possumus, secundam quam id vocabulum omnibus in-
 dividuis hominum competat. Hæc cum vulgò non satis animadvertantur,
 solent nostræ ætatis homines vel ipsi definitiones cudere, ubi
 non debebant, atq; ubi id fieri est ridiculum, velex Aristotele quædam
 excerpunt, quæ pro definitionibus venditent. Quid manifestius est,
 Aristotelem principio quinti Metaphysicorum homonymiam & va-
 rias significationes vocis δεχθὴ velle exponere, & his inter alia verbis,

πιστῶν

πατῶν μὲν ἔν κοινὸν τῶν δεχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γί-
 νεται, ἢ γινώσκειται. Nihilominus ex his definitionem cudunt hujus-
 modi: *Principium est id primum unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.*
 Ipsa vocula ἢ aut satis ostendere poterat, hæc non posse pro unâ defini-
 tionē venditari. Quod idem satis etiam intelligi poterat ex eo, quod
 tam diversa in illis verbis sunt congesta, hæc nimirum, *esse ex aliquo,*
fieri ex aliquo, cognosci ex aliquo. Sed non illud nunc agimus, ut defini-
 tiones quæ vulgo perperam cuduntur, reprehendamus. Convertamur
 igitur ad illud, quod sub disquisitionem vocare instituimus.

II. Inter quatuor αἴτια, quæ Aristoteles recenset, etiam illud est
 ὅθεν δεχῆ τῆς μεταβολῆς ἢ πρῶτη, ἢ τῆς ἡρεμῆσεως, unde est principium
 mutationis primum, aut quietis. Quod ipsum idem Philosophus in aliis
 quoq; locis, iisdem aut geminis verbis proponit. In exemplum verò
 jubet capi eum qui consulit, patrem. Οἷον, inquit, ὁ βασιλέως αἴτιον,
 καὶ ὁ πατὴρ τῆ τέκνης, καὶ ὅλως τὸ πᾶν τῆ πικρίας, καὶ τὸ μεταβάλλ-
 λον τῆ μεταβαλλομένης, Exempli gratiâ, qui consulit, αἴτιον est, ἔ πα-
 ter filii, ἔ in universum, quod facit, ejus quod fit, αἴτιον est, ἔ quod trans-
 mutat, ejus quod transmutatur. In istâ Aristotelis definitione varia defi-
 derant Suarez, Mendoza, & alii: student tamen iidem eam explicare
 atq; defendere. Nos præcipuè observemus illud, quod Philosophus
 dicit, in universum illud, αἴτιον vocari, ὁ ποιεῖ ἢ μεταβάλλει τι, quod fa-
 cit sive efficit aut transmutat aliquid. Nostri non malè Efficiens vocant uno
 vocabulo: & addito ipso etiam vocabulo πρῶτη causa, hoc modo,
 Causa efficiens. A quo non discrepat is, cui hæc Lingua, quâ hodie phi-
 losophamur, vernacula fuit, quiq; eâdem philosophari se primum in-
 stituisse, gloriari ferè potuit. Is in libro de fato, ita habet: *Causa autem*
ea est quæ id efficit, cujus est causa; ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis
ardoris. Itaq; non sic causa intelligi debet, ut quod cuiq; antecedit, id ei cau-
sa sit, sed quod cuiq; efficienter antecedit. Bene observat iste Philosophus,
 quem alibi crassiusculè philosophatum deprehendimus, permul-
 tum esse inter tale, quod alteri simpliciter antecedit, & tale, quod
 sic antecedit, ut simul efficiat: idq; aptissimis exemplis etiam explicat.
 Non autem reperit commodius vocabulum suæ linguæ, quo id quod
 vult, explicet, quam τὸ efficiens. *Causa ea est, inquit, quæ id efficit, cujus*
est causa. Item: *Quod cuiq; efficienter antecedit.* Neq; sperare nobis licet,

nos ex eâ linguâ quâ hodie philosophamur, commodius vocabulum capere posse, quam illud quo usum videmus Tullium. Vocemus igitur *Efficiens*. Deinde cum vocabulum *Causa* homonymum sit, ut & *finem propter quem res est, & alia significet*, in istis tamen Tullii verbis idem, strictè usurpari animadvertimus, & ut τῶ efficienti ἰσοδύναμον. Sic & hodie fieri amat, ut cum τὸ *efficiens* designatum imus, vocabulo *causa* id exprimamus, atq; ut *efficiens* quasi καὶ ἐξοχὴν *causa* dicatur.

III. Porro *Efficiens* dividitur in *efficiens per se*, & *efficiens per accidens*: idq; ex doctrinâ Aristotelis quæ in prædicto libro V. Metaph. apparet. Quia autem *Causa* solet æque strictè quandoq; dici, ut ipsa vox *Efficiens*, eadem divisio etiam sic proponitur: *Causa est vel per se, vel per accidens*. Atq; hæc posteriori formâ divisio ista vulgò frequentatur. Quare & nos qui de efficiente per se & per accidens disquirere instituimus, utemur posteriori istâ formâ, deq; *causa per se & per accidens* dispiciemus. Ceterum divisionem istam proposuit vetus Philosophus Aristoteles, non unò loco. Non tamen definitiones ὀνοματώδεις causæ per se, & causæ per accidens usquam addidit. Alii verò qui Aristotelis mentem exponere studuerunt, conati sunt definitiones quasdam tradere. Et Mendoza quidem *Causam per se* definit, quod talis sit quæ per se necessaria sit ad effectum, ita ut sine illâ effectus esse non possit: ut ignis & aqua sint causâ per se calefactionis. Licet enim calefactio immediatè procedat à calore, ignem tamen & aquam necessaria esse ad existentiam caloris. *Causam per accidens* idem Mendoza definit, quod talis sit quâ res ita concurrat ad effectum, ut ad illum non sit necessaria: ut si quis simul sit Musicus & statuarius, Musicum dici causam per accidens statux, quia ars Musicæ nihil faciat, neq; ad efficientiam statux, neq; ad existentiam artis statuarix. Istas definitiones atq; explicationes menti Aristotelis parum conformes esse, rectè judicat Cl. Stahlius, Fautor & amicus noster, in compendio Metaphysices. Alii, definitiones sic proponunt: *Causa per se* est, quæ virtute propriâ producit effectum: *causa per accidens* quæ non virtute propriâ, sed alienâ effectum, producit. Has definitiones Cl. Stahlius ex Soncinate producit, & si rectè explicentur, non rejiciendas judicat. Cl. Jacobus Martini in Dispp. Metaphysicis tales posuit: *Causa per se est*, quæ secundum suam naturam agit, & effectum producit: *causa per accidens*, quæ non necessario ad effectum producendum concurrat, sed per accidens saltem.

IV. Ur

IV. Ut judicare queamus, quid ex istis menti Aristotelis conforme sit, quid minus; ipsa Aristotelis verba producenda fuerint, quibus de efficiente per se & per accidens agit. In quinto igitur Metaphysicorum, cum dixisset τὰ αἴτια causas dici πολλάχως, paucis interjectis hæc ponit: ἐπὶ δὲ ὡς τὸ συμβεβηκὸς καὶ τὰ τέτων γένη, (multipliciter causæ dicuntur) ut accidens & eorum genera. Quid verò per τὸ συμβεβηκὸς intelligat, sic amplius exponit per exempla: Ut statua aliter Polycletus, & aliter statuarius (αἴτιον, causa efficiens est) quia accidit statuarius Polycletum esse. Sequitur deinde: καὶ τὰ περιέχοντα τὸ συμβεβηκὸς, & ea quæ continent accidens (e.g. Polycletum) ut homo causa statua (homo quippe continet Polycletum, species nim. individuum) aut omnino ipsum animal (quod adhuc superius est homine, utpote genus, causa statua dicitur) quoniam Polycletus homo, homo autem animal est. Est autem accidentium quoq; aliud alio remotius & propinquius: ut puta si albus & musicus dicantur statua causa, & non solum Polycletus aut homo. Eadem doctrina iisdem ferè verbis proponitur in lib. II. Phys. t. 33. Apparet autem ex illis, Aristotelem considerare varios modos loquendi, nempe quod dicamus, Polycletum causam esse statuae sive statuam fabricare: hominem esse causam statuae: porro & animal esse causam statuae: musicum item causam esse: deniq; causam esse ipsum quoq; statuarium. Ex omnibus istis tam variis, quæ causæ dicuntur ejusdem statuae, sive quæ statuam dicuntur fabricare, unicum modò esse quod causa sit καὶ αὐτὸ secundum se sive per se, videlicet statuarium: cætera omnia esse causas καὶ συμβεβηκὸς secundum accidens sive per accidens, aut esse τὰ συμβεβηκὸς ipsa accidentia. Amplius mentem Philosophi intelligere licet ex libro II. Phys. t. 50. ubi hæc ejus sunt verba: Quemadmodum illud quod est, aliud quidem per se ipsum est, aliud autem secundum accidens, sic & causam contingit esse vel καὶ αὐτὸ secundum se, per se, vel καὶ συμβεβηκὸς secundum accidens, per accidens: οἷον οἰκίας καὶ αὐτὸ μὲν αἴτιον τὸ οἰκοδομικόν, καὶ συμβεβηκὸς δὲ λευκὸν ἢ τὸ μυσικόν, quemadmodum domus secundum se sive per se quidem causa est τὸ ædificativum (id quod artem ædificandi callet, architectus) secundum accidens verò causa est album aut musicum. Itaq; per se causa definita est: quæ verò secundum accidens, indefinita. infinita enim uni accidunt.

V. Ex allatis Philosophi verbis nos hujusmodi formamus definitiones ὁνοματώδεις: Causa secundum se sive per se alicujus effectus, dicitur subje-

subjectum quoddam, si hoc denominatum sit ab istâ qualitate (habitu, potentiâ) quæ ad producendum effectû ultimò requiritur. Causa secundû accidens sive per accidens alicujus effectus, dicitur subjectum quoddam, si hoc non denominatum sit à tali qualitate, quæ ad effectum producendum ultimò requiritur. Nunc consideremus, quomodo exempla Aristotelis istis definitionibus congruant. Statuarium Philosophus dicit causam per se sive secundum se esse statuæ: τὸ ἀ edificativum item causam per se esse domus. Dicuntur igitur statuarius & τὸ ἀ edificativum causæ per se sive secundum se, propterea quòd subjecta agentia sic denominata sunt ab istâ arte, per quam effectum producant. Polycletum Philosophus dicit causam per accidens statuæ esse: hominem item, animal, musicum, album esse causas per accidens. Verè utiq; & rectè sic loquimur, hominem fabricasse statuam, animal fabricasse, Musicum item, aut album fabricasse. Dicuntur autem omnia hæc, Polycletus, inquam, homo, animal, Musicus albus, causa per accidens statuæ, propterea quòd subjectum agens non denominatum est ab istâ arte, per quam statua producit. Eodem modo Petrus, homo, animal, substantia, musicus, albus, causæ per accidens domûs dicuntur, propterea quòd subjectum agens non est denominatum ab istâ arte, per quam domus exstruitur. Statuarius & τὸ οἰκοδομικὸν sunt causæ per se; iste statuæ, hoc ædificii. Per τὸ οἰκοδομικὸν autem intelligendum est ipsum subjectum cum arte ædificandi complicatum. Solet sanè Philosophus tali adjectivo, in genere neutro posito, ipsum etiam abstractum seorsim significare, arcem, inquam, ædificandi; quemadmodum & aliàs adjectiva neutrius generis concretum significantia, ponuntur pro istis substantivis, quæ abstractum significant. Τὸ λευκὸν non modo album significat, concretum, inquam, sive subjectum albedine affectum, sed etiam albedinem, ipsum abstractum. Atq; hoc peculiariter pertinet ad genium Græcæ Linguæ. Ipse Philosophus in libello Categ. c. V. disertè monet, eorum quæ in subjecto sunt, pleraq; talia esse, quorum neq; nomen, neq; definitio attribuitur subjecto: quorundam tamen nomen nihil prohibere subjecto attribui, definitionem verò attribui non posse. Subdit deinde exemplum: οἷον τὸ λευκὸν ἐν ὑποκειμένῳ ὄν τῷ σώματι, κατηγορεῖται τῷ ὑποκειμένῳ. λευκὸν γὰρ σῶμα λέγεται. ὁ ἢ λόγος ὁ δὲ λευκὸς ἔδραπε καὶ τῷ σώματι κατηγορηθήσεται. Quæ Græca propter unicam vocem λευκὸν haud commode possunt Latine verti, propterea quod

quod Latinæ L. genius aliter habet. Vertemus tamen sic ut possumus, & deinde corrigemus rursus: *Quemadmodum album in subjecto existens corpore, prædicatur de subjecto, album enim corpus dicitur: definitio autem albi nequaquam de corpore prædicabitur.* Tò album significat subjectum, quod albedinem habet. Fingamus autem id significare posse ipsam quoq; *albedinem*. Jam quia *albedo* verè dicitur esse in subjecto corpore, album item quod voci *albedo* æquipollens finximus, in subjecto esse dicendum est. Idem verò *album*, potest etiam de subjecto prædicari, hoc modo, *homo est albus*. Verum enimvero Latina lingua id non fert, ut vocabulum significans *subjectum accidentem affectum*, significet *ipsum quoq; accidens seorsim consideratum*. Fert autem idem illud Græca Lingua, ut λευχὸν quod *subjectum* significat *albedine affectum*, significet etiam ipsam *albedinem seorsim*. Ex quo intelligitur Philosophi observationem ad Græcam modo Linguam pertinere; non ad Latinam. In Græcâ L. inquam, fit, ut nomen subjecto attribui possit, non verò ipsa definitio; e. g. nomen λευκῶν (albedinis) tribuitur subjecto corpori, quod λευχὸν dicitur: ejus vero (albedinis) definitio corpori tribui non potest. Ad definitionem λευκῶν, si qua dari possit, pertinet utiq; genus *Color*: quod sanè corpori tribui non potest, diciq; *corpus esse colorem*. Apud Græcos igitur, ut dixi, adjectiva neutrius generis possunt substantiva abstracta significare; οἰκοδομικὸν *artem ædificandi*: λευχὸν, *albedinem*: μουσικὸν, *artem musicam*. In nostris tamen τὸ οἰκοδομικὸν non *artem ædificandi*, sed *subjectum* tali arte præditum significat. Tò οἰκοδομικὸν item, hoc est, *subjectum* arte ædificandi instructum, est *causa* secundum se sive per se ædificii. Quod satis intelligitur ex cæteris quæ adduntur. λευχὸν, inquit, est *causa* per accidens ædificii. Ubi sanè per istam vocem intelligendum est *subjectum* albedine affectum; istud nim. *causam* per accidens esse ædificii. Ipsa enim *albedo*, quæ & ipsa λευχὸν dicit, ut antea monebamus, nullâ ratione *causa* ædificii dici potest.

VI. Adeum modum quo nos paulo antè distinctas atq; ὀνοματώδεις *Causæ* per se & per accidens definitiones dedimus, Cl. Stahlius in Regulis Philosophicis disserit his verbis: *Cum supposito effectus tribuitur, ut denominatur vel constituitur per formam, quæ est principium effectus, tunc est causa per se: quando autem id sit, ut denominatur ab aliquo accidente, aut est nudum subjectum ejus formæ; est causa per accidens.* Quas verò supra

B

attuli-

artulimus definitiones aliorum, eas minus rectè se habere, ac mentè Aristotelis parum congruere, facile nunc intelligi potest. Mendoza *Causam per se* definit, quòd talis sit quæ *per se necessaria sit ad effectum, ita ut sine illà effectus esse non possit: causam per accidens verò, quæ ita concurrat ad effectū, ut ad eū non sit necessaria.* Quas definitiones si recipiamus, Polycletus, homo, animal, causæ per se erunt statuæ; non causæ per accidens, ut doctrina Philosophi habet. Nam Polycletus, homo, animal, utiq; tales causæ sunt, quæ per se sunt necessariae ad effectum, ita ut sine illis effectus esse nequeat. Sanè non brutum, sed homo statuum fabricare scit ac potest. *Alteræ* definitiones non tam malè quidem se habent: nec tamen omnino concinnæ sunt. Proponuntur à Soncinate ac aliis ita: *Causa per se est, quæ virtute propriâ agit: causa per accidens, quæ alienâ.* Si secundum has definitiones statuarium velimus vocare causam per se statuæ; Polycletum, hominem, animal Causas per accidens: statuendum fuerit, Polycletum, hominem, animal non agere virtute propriâ, sed alienâ. Sed hoc incommodè ita diceretur. Quam enim virtutem Polycletus habet, quaq; is agit, ea ipsius Polycleti propria est, non aliena. Sed dicent, eam virtutem tamen non pertinere ad essentiam Polycleti, nec Polycletum, ut hominem, sed ut arte quadam instructum, fabricare statuum. Ergone aliena diceretur ea virtus quæ essentiæ superaddita est? Cujusnam ergo virtus ea est, quam Polycletus habet, si aliena ea est, nec Polycleti propria? Quis reposcet, & cui ea reddenda erit? Licet eandem rē quam Soncinati aliisq; istis vocabulis exprimere libuit, multò commodioribus exprimere. Non dicendum est, artem quam Polycletus habet, non esse Polycleti propriam, sed alienam: verum sic loquamur, ut vulgò aliàs solemus, eam non esse Polycleti, ut Polycleti, ut hominis, ut animalis; sed Polycleti ut statuarii. Postremæ earum definitionum, quas supra allegavimus, doctrinæ Aristotelis nihil quicquam congruunt, ut facile liquere potest vel leviter cogitanti; præcipuè si ad exempla quòq; quæ autor adjunxit, attendere velis.

VII. Causam per accidens diximus substantiam quandam dici, si hæc non denominata sit ab eâ qualitate, quæ ad effectum producendum ultimò requiritur. Addidimus etiam ex Aristotele varia exempla. causam per accidens statuæ esse Polycletum, hominem, animal, Musicum, album. Pro varietate horum exemplorum licet causam per accidens, quasi genus quoddam in species dividere. Primò causa per accidens dicitur,

dicitur, non quòd ipsa alteri accidat, sed quòd ipsi accidat alterum. Sic Polycletus causa per accidens statuæ est: non quòd Polycletus accidat arti statuariæ, per quam fabricat; sed quòd ars statuaria accidat Polycleto. Deinde causa per accidens dicitur, quòd ipsum illud quod ita dicitur, accidat alteri. Sic medicus est causa per accidens statuæ. Accidit quippe statuario, ut simul sit medicus. Ex duabus istis quasi speciebus prior aliquanto propiùs accedit ad causam per se, quam posterior. Nam hominem esse requiritur planè ad id, ut aliquis sit statuarius: & naturalibus potentiis hominis ista ars superstruitur. Esse medicum autem requiritur non item, & nihil quicquam confert adidem illud. Statuarium esse est ultimum quasi complementum eorum, quæ ad efficiendam statuam requiruntur. Id Aristoteles in II. Phys. t. 38. eleganter sic exprimit: δὲ ἢ αἰὲ τὸ αἰπὸν ἐκάστῃ τὸ ἀκρότατον ζητεῖν, ὡς περὶ καὶ ἑπὶ τῶν ἄλλων. οἷον ἀνθρώπου οἰκοδομῆ, ὅτι οἰκοδόμου. ὁ ἢ οἰκοδόμου καὶ τὴν οἰκοδομικὴν. Τῆτο τῶνυν ὡς περὶ αἰπὸν. Et lib. V. Metaph. c. 2. statuarium & huic familia, αἰπια vocat οἰκείως λεγόμενα; alia vero vocat καὶ συμβεβηκὸς λεγόμενα.

VIII. Atq; ita aliquam Aristotelis doctrinam de Causâ per se & per accidens, exposuimus quàm fieri potuit, clarissimè. Ceterum causa per accidens multis quoq; aliis modis dicitur: quos modos cum superioribus non licet confundere, sed seorsim eos exponi par est. Vulgò causam per accidens distinguunt in eam quæ ex parte ipsius causæ est, & eam quæ est ex parte effectus. Sic non illa divisio causæ per accidens, quam nos paulò ante dedimus, prima fuerit; sed prior hæc erit divisio, quam alii tradunt. Ejus deinde unum membrum, Causam per accidens puta ex parte causæ, licebit fortassè nobis nostro modo dividere. Sed profitendum est, id parum placere nobis: rectius verò videri fieri, si superiora sic patriamur disposita manere, ut nos disposuimus; deinde eam causam per accidens quam ipsi ex parte effectus vocant, separatim consideremus. Si autem omnino libet causam per accidens ex parte causæ, & alteram ex parte effectus componere, minimum nos contendemus, non esse eam divisionem latioris in strictiora, sed esse distinctionem, & διαίρεσιν ὀνόματος ὁμωνύμου. Et sanè faciliè id concedet F. Suarez, quippe qui Disp. XVII. sect. 2. discretè scribit, Causam per accidens non posse commodè unâ communi descriptione definiri, sed variis modis dici. aliquando enim dici causam

causam per accidens ex parte cause, aliquando verò ex parte effectus. Quod vero idem Suarez ibidem de causâ per accidens in genere scribit, *eam non esse veram causam, sed per quandam habitudinem vel similitudinem, aut conjunctionem cum causâ sic appellari*, id nobis non placet. Sanè Polycletum Suarez ex mente Aristotelis dicet causam per accidens statuat esse. An autem credemus, Polycletum, quia causa per accidens statuat dicitur, non esse veram causam statuat? Nos sic habendum putamus: quicumq; verè efficit, fabricat aliquid, hunc ejusdem veram causam esse. Efficit autem Polycletus. Quare Polycletus vera statuat causa erit. Ceterum quòd Suarez dicit, causam per accidens non posse unâ descriptione definiri, ex eo facile intelligitur, causam per accidens ex parte causæ, & causam per accidens ex parte effectus, in unâ definitione causæ per accidens non posse convenire. Et quia nos aliquam causæ per accidens descriptionem supra dedimus, non mirum est, causam per accidens ex parte effectus ei non congruere. Sed quid de causâ per accidens ex parte effectus statuam, cognoscamus.

IX. Libet id exponere verbis prædicti Suarefii, ex prædicto loco desumptis. Habent autem ita: *Solet etiam interdum assignari causa per accidens ex parte effectus, id est, respectu ejus quod accidit effectui per se, atq; hoc modo ipsamet causa per se alicujus effectus, est causa per accidens ejus quod conjungitur effectui per se, quomodo motus est causa caloris, & calidum causa nigri. Hoc etiam modo ea, quæ casu aut fortuito eveniunt, dicuntur habere causam per accidens, ut quòd sodiens quis inveniatur thesaurum. Est autem in hoc genere causarum per accidens advertendum primò, interdum effectum appellari per accidens, respectu concursus aliquarum causarum, quamvis supposito illo concursu, talis effectus per se manet à tali causâ, ut v. g. quòd cadente lapide contingat, Petrum illac incedere, accidentarium est: tamen supposito illo concursu, quòd lapis suâ vi percutiat & tale vulnus efficiat, effectus est per se proveniens à tali vi activâ lapidis: & ideo tunc non dicitur lapis causa per accidens illius effectus, nisi respectu illius concursus, vel etiam respectu intentionis moventis. Rursus est advertendum, quando effectus dicitur per accidens, eo quòd conjungitur effectui per se, dupliciter dici posse per accidens. Uno modo respectu solius intentionis agentis: alio modo etiam respectu ipsius actionis, & connexionis unius effectus cum alio. Conjungit enim unum effectum, non solum esse præter intentionem agentis, sed etiam nullo modo esse connexum cum actione ejus, ut quòd sodiens terram inveniatur thesaurum.*

saurum. Et tunc est propriissimè causa, & effectus per accidens. Ex his notiones causæ per accidens capere licet, ab illis multum diversas, quas supra exposuimus. Nimirum si quis fodiens inueniat thesaurum, quod non intenderit, dicitur is causa per accidens inventionis istius. Porro si lapis, transeunte quodam, decidat, atq; ipsum nec opinantem lædat, *lapis dicitur causa per accidens.* Idem tamen lapis dicitur etiam *causa per se* ejusdem effectus. Quid verò ita? an secundum definitionem *causæ per se* supra traditam? an sic ut statuarius causa per se statuæ dicitur, lapis quoq; causa per se dicitur? Non ista notio causæ per se nunc tenenda est, sed omittenda tantisper ista est, ac lapidem causam per se dici putandum est, quòd is reverà corpus prætereuntis contingat, eumq; lædat. Si quis verò protrudat lapidem ex tecto, is causa per accidens erit: quia ipse non contingit corpus ejus qui læditur, sed aliquam actionem edit, quam ipsa lapidis actio, læsio nimirum, sequitur.

X. Quoniam igitur aliæ notiones causæ per se, & causæ per accidens nobis capiendæ nunc sunt, faciamus periculum, & definitiones constituamus. *Causa per se* dicatur, quæ revera efficit illud cujus causa dicitur. *Causa per accidens*, quæ non efficit id, cujus causa dicitur, sed aliquid efficit, quo factò naturaliter & necessario sequitur ista actio, cujus causa dicitur. *Exempli gratiâ*: lapis, qui prætereuntem lædit, causa per se est istius læsionis, quia ipse contingit corpus prætereuntis: is verò qui protrudit lapidem ex tecto, est causa per accidens istius læsionis, propterea quòd is aliquid facit, quo factò necessario sequitur ipsa læsio. protrudit nim. lapidem: quam actionem sequitur necessario ipsius lapidis actio, naturalis ejus motus ad centrum mundi, & amplius ubi corpus prætereuntis contingit, ipsa læsio. *Item*, si quis lapidem ligno impositum tollat, & lignum deinde sursum feratur, quod antea fundo adhæserat, is causa per se est remotionis lapidis, causa per accidens autem ejus quòd lignum sursum fertur. Nam remotionem lapidis naturaliter ac necessario sequitur operatio ligni, quâ id sursum fertur. *Item*, si incendium oriatur, quòd felis ignem applicaverit materiæ cuidam, quæ ignem facillè concipit, felis causa per accidens est incendii: ignis autem causa per se. *Item*, qui globum bombardâ emittit, is causa per accidens est istius extrusionis: pulvis nitratus autem est causa per se. *Item*, Qui fenestras aperit, ut aër qui intra museum est, illustretur, is causa per accidens est ejus, quod aër illustratur: causa per se vero ipsius

apertionis fenestrarum. Sic satis multis exemplis illustrari possunt istæ causæ per se & per accidens definitiones, quas dedimus. Probè autem observanda est differentia inter causam per se, & causam per accidens, prout novissimè eas definivimus, & prout definiebamus suprâ. Utrobique sanè voculæ *per se, per accidens*, usurpantur: non autem uno eodemque intellectu. Ex quo facillè apparet, duas diversas divisiones iisdem vocabulis proponi. Omnia verò exempla causæ per accidens, quæ paulò antè congerebamus, talia sunt, ut in iis appareat vel *applicans agens ad patientem*, vel *removens* id quod *impedit*. Qui lapidem removet, ut lignum innatare possit, is causa per accidens est istius narrationis, ut dixi. Is autem removet impediens. Felis quæ ignem applicat ædibus, causa per accidens est incendiû. Applicat ea agens (ignem) ad patientem. Qui protrudit lapidem ex tecto, is causa per accidens est læsionis cuiusdam. Removet is quoque aliquo modo impediens: vel certè facit, ut id quod impediēbat, ne lapis centro terræ propinquior fieret, non amplius impediatur. Quod deinde agit, cum applicatum est patienti, vel cum impediens est remotum, *Causa per se* dicitur, ut ex definitionibus intelligi licet.

XI. Sed iste lapis, qui *causa per se* est læsionis, dicitur etiam alia ratione *causa per accidens*, ut ex verbis Suarefii intelleximus: quia nim. contingit sive accidit, ut dum lapis decedit, homo istac transeat. Amplius verò propter eandem causam dicunt lapidem esse *causam per accidens ex parte effectus*. Ergone effectus accidit, sive contingens est? ea, inquam, læsio. Non ita res se habet. Prorsus necessarium est, lapidem si in hominem prætereuntem incidat, eum lædere. Id verò *συμβέβηκεν*, *contingit sive accidit*, quod homo istac transit, dum lapis decedit. Observabamus & talem usum vocabuli in verbis Suarefii, ut is dicatur causa per accidens, qui aliquid agit, quod non intenderat: exempli gratiâ, si quis dum agrum fodit, thesaurum inveniat, quod non intenderat: si quis dum gladium stringit, eo quempiam lædat, id quod iridem non intenderat. Hæc igitur posteriora videntur occasionem dedisse ejus, quod de lapide dicebamus, decedente ex tecto, & lædente prætereuntem. Licet enim intentio propriè sit agentis voluntarii, tamen ad naturale etiam agens extendi videtur. Lapidis igitur intentio non erat, hominem transeuntem lædere: sed ejus quasi intentio sive appetitus naturalis erat ad quietem in terrâ obtinendam ferri. Si lapis ita, ut dixi, agat, vocatur id *casus* aut *casu factum*; si vero homo prætereun-

ter intentionem agat, vocatur id *fortuitum*, aut *sorte fortunâ factum*. Fit etiam, ut ipse casus aut fortuna causa per accidens dicatur. Aristoteles in XI. Metaph. c. VII. sic differit: *Quemadmodum ens quoddam per se, quoddam secundum accidens est, ita & causa.* τὴν δ' αἰτίον κτ' συμπεθεκός fortuna verò secundum accidens causa est in eis que secundum electionem alicujus gratiâ fiunt, quia circa idem fortuna & mens. electio namq; absente mente non est. Cause verò, à quibus fit τὸ δὲ τὸ τῆς quod à fortunâ, indeterminate sunt. διὸ ἀδελ. ἐν θρωπίνῳ λογισμῶ. κτ' αἰτίον κτ' συμπεθεκός. ἀπλῶς ἢ ἐδενός, propterea humane menti obscura sive incognita est (fortuna) & causa secundum accidens: simpliciter verò nullius. ἀγαθὴ ἢ τίχη καὶ κακὴ, ὅταν ἀγαθὸν ἢ φάυλον δοτοβῆ, bona autem fortuna & mala est, cum bonum aut malum evenerit.

XII. Atq; ita apparuerunt jam tres notiones cause per accidens. Quarum prima est, ut eo nomine dicatur suppositum quod non denominatum est ab ista qualitate, quæ ut ultimum complementum ad aliquid efficiendum requiritur: altera, ut causa per accidens dicatur is qui aliquid facit, quo facto naturaliter & necessario sequitur alia actio sive operatio: tertia ut causa per acc. dicatur is, qui præter intentionem & ex improviso aliquid facit. Ad hanc postremam autem reducitur id quod lapis dicitur causa per accidens, cum is decidens hominem fortè transeuntem lædit. Vir Cl. existimat, hunc quoq; modum loquendi usitatum esse, ut dicamus, si ambulante quodam fulguret, *eum qui ambulat, esse causam per accidens fulguris*: ut ita jam quartam notionem cause per acc. haberemus. Ejus locutionis exempla credit se producere posse ex Aristotelis lib. I. prior. anal. c. 12. & l. 1. post. c. 4. Sed istius modi loquendi non apparet probabilis quædam ratio: siquidem ambulatio hominis, & fulgur quod homine ambulante existit, nullam connexionem habent, nec alterum naturaliter & necessario sequitur alterum. In superioribus cum eum qui lapidem protrudit, diceremus causam per accidens læsionis, apparebat naturalis quædam connexio inter duas actiones, ut nim. unâ existente mox sequatur altera. Et propterea ejus actionis, quæ prior sequitur, causa dicitur is quoq; qui causa est prioris. Sic & in cæteris superioribus vel connexio quædam apparebat inter duas actiones, vel is qui causa dicebatur, revera efficit id cujus dicebatur causa. Ejus autem actio, qui dum fulgur oritur, ambulat, nullam connexionem habet

habet cum ipso fulgure: atq; igitur nec ambulans iste causa fulguris ullo modo dici potest. Sed nec Aristoteles ita locutus est, eum qui ambulat, esse fulguris *ἄμιτον καὶ συμβεβηκός* causam per accidens esse. Tantum ita habet Philosophus, *ἐὶ βαδίζοντος ἤσραψε, συμβεβηκός εἶναι*, si ambulante quodam fulguret, esse id accidens, propterea quod fulguris causa non est ambulatio, sed ita forte accidisse dicamus. Quibus verbis non hoc vult, ambulantem dici causam per accidens fulguris; sed hoc modo, quod fulgurat, dum aliquis ambulat, id accidens esse. Sic & in altero loco habet: *ἐνδέχεται contingere*, (accidere) duobus modis dicitur. Altero modo accidere id dicitur, quod incertum est & indefinitum, quodq; ita & secus evenire potest: cuiusmodi sunt, *τὸ βαδίζειν ζῶον*, animal incedere, & *τὸ βαδίζοντος (τῆς ζῴης) γενέσθαι σεισμόν*, incedente animali terræ motum fieri. Vides, quod fulgur existit, sive terræ motus fit, dum aliquis ambulat, id accidens dici; non vero, hominem ambulantem causam per accidens dici fulguris aut terræ motus.

XIII. Nunc tempestivum videtur, de Causâ physicâ & morali agere, cogitareq; an ad superiora reduci possit ista distinctio. Ponamus ante omnia definitiones, sed petitas ex commentariis aliorum. Suarez in Disp. XVII. sect. 2. ita habet: *Causa Physica est causa verè ac realiter influens in effectum: Moralis, quæ per se non verè efficit, moraliter tamen ita se gerit, ut ei imputetur effectus: quomodo causa consulens aut rogans, aut non impediens, cum possit & debeat, dicitur causa moralis.* Sic & Scheiblerus: *Physica causa est, quæ per verum & proprium influxum attingit effectum: veluti cum ignis comburit. Moralis autem est, quæ suo quidem influxu non attingit effectum, nihilominus tamen talis est, ut imputetur ei effectus, in laudem vel vituperium, pœnam vel præmium: ut is qui ignem applicat adibus.* Addit autem idem Scheiblerus: *Atq; ad hoc genus moralium causarum pertinent & illi, qui ad aliquid faciendum hortantur, rogant, consulunt, persuadent, minis instigant, non impediens, meritorie cause, & quæ quoquo modo se gerunt, ut eis effectus propriæ & Physicæ cause imputetur.* Habemus hic aliquam causæ divisionem, quæ sanè pervulgata est. Quam annon reducere licet ad superiorum divisionum aliquam? & eam quidem, quæ ordine secunda est? Sanè prioris sui parte hæc novissima divisio prorsus eadem est cum superiore divisione. Causa Physica, inquam, nihil aliud est, quam causa per se. Quod facile intelligetur, si definitiones causæ physicæ,

physicæ, quas ex Suarezio & Scheiblero produximus, & definitio causæ per se, quam supra posuimus, conferantur. Posteriore autem sui parte hæc novissima divisio paululum discrepat à posteriore parte superioris. *Causam per accidens* definiebamus, quod talis sit quæ quidem non ipsa efficiat illud cuius causa dicitur, sed aliquid tamen faciat quo facto statim & necessario quidem sequatur iste alter effectus. Sic qui lapidem, removel ligno incumbentem, causa per accidens dicitur ejus, quòd lignum aquis innatat. Sic si felis ignem applicet ædibus, & incendium inde oriatur, felis causa per accidens est incendii. In novissimæ autem divisionis posteriore parte, *Causà morali*, inquam, mentio fit *imputationis, præmii, pænæ*. Quod an prohibebit, quò minus ea quæ causæ morales vocantur, dicere queamus causas per accidens. Non videtur id prohibere. Cum felis applicat ignem ædibus, est ea incendii causa per accidens. Quidni igitur & hominem, si is applicet, liceret causam per accidens incendii vocare? Quod verò homini in pœnam imputatur ista actio, quæ feli imputatur non item, ejus ratio hæc est, quod ista actio proficiscitur ab homine; eo inquam, qui omittere debuisset. Capiamus simile exemplum: si canis devoret alterius cibos, & devoret item homo, eodem modo & canis & homo causa dicentur. Neq; impedit, quòd homini ista actio imputatur in pœnam, quodq; is eo nomine vituperandus est.

XIV. Nec repugnabunt Philosophi nostræ ætatis, quò minus causam physicam revocemus ad causam per se, & causam moralem ad causam per accidens. Suarez l.cit. in eam sententiam sic disserit: *Physicè seu Metaphysicè considerando divisio hæc (causæ in physicam & moralem) revocatur ad priorem de causà per se & per accidens: nam causa verè efficiens Physicè, solum dicitur de causà per se: causa autem quæ moraliter tantum seu imputativè causat, Physicè considerata tantum est causa per accidens, cum per se & verè non influat*. Nec aliter Cl. Stahlius: *Hæc divisio, inquit, (causæ in physicam & moralem) reducitur ad præcedentem (divisionem causæ in causam per se & per accidens) si causa per se & per accidens considerentur ratione influxus, ita ut illa dicatur per se, quæ revera influit in effectum: per accidens verò ea cum cujus effectu per se coheret aliud cuius causa dicitur, ita ut in illud non influat*. Hæc enim ratione omnis causa Physica est per se, omnis causa moralis est per accidens. Videmus istos viros nihil repugnare, quò minus causam physicam & moralem dicamus

con-

congruere causæ per se & per accidens. Sed nos duplices notiones tum
causæ per se, tum causæ per accidens supra proposuimus: diximusq;
duas esse diversas divisiones, quæ iisdem vocabulis proponantur, quas
& diversis definitionibus atq; exemplis illustravimus. Alii non satis
distinctè de his loquuntur. Dicit quidem Suarezius, causam physicam
revocari posse ad causam per se, moralem verò ad causam per accidens:
sed id nobis non sufficit. Cum nos animadverterimus, sub unis iisdemq;
vocalibus latere duas diversas divisiones, quærendum amplius est, ad
quem intellectum causæ per se & per accidens revocanda sit distinctio
causæ physicæ & moralis. Nos igitur dicimus, revocandam esse non ad
primum intellectum, sed ad secundum. *Causa per se priori intellectu*
dicitur suppositum quoddam, si hoc denominatum sit ab istâ qualitate
quæ ultimo requiritur ad illud cuius causa dicitur. Sic statuarius est
causa per se statuæ. *Causa per accidens priori intellectu* dicitur suppositum
quod agere dicitur, nec tamen denominatum est ab istâ qualitate, quæ
ultimo requiritur ad illud, cuius causa dicitur. Sic Polycletus, homo,
animal, musicus, albus, sunt causa per accidens statuæ. *Causa per se po-*
steriori intellectu dicitur suppositum, quod ipsum non agit illud cuius
causa dicitur, sed aliud quid agit, quo factò altera actio necessario
sequitur. Exempli gratia: si quis protrudat lapidem ex tecto, &
lapis decidens lædat transeuntem, lapis causa per se est istius læsionis,
(ipse nim. contingit transeuntem, eumq; lædit) homo autem qui pro-
russit, est causa per accidens istius læsionis: quia egit aliquid, quo factò
ipsius lapidis operatio necessario est secuta. Aliud exemplum: si felis
ignem applicet ædibus, & sequatur exustio, ignis causa per se est
exustionis, felis verò causa per accidens est ejusdem exustionis, pro-
pterea quod egit aliquid, quo factò ipsa exustio necessario secuta fuit.
Quoniam nunc duæ divisiones, quæ iisdem vocabulis proponuntur,
juxta se visuntur positæ, diversitatem earundem confido satis posse in-
telligi. Polycletus causa per accidens statuæ est, non posteriore signifi-
catu, sed priore. Quia non denominatus est ab istâ arte, quæ ultimo
requiritur ad statuam fabricandam, Polycletus est causa per accidens
statuæ. Posteriore autem significato idem causa per accidens dici
nequit. Quis enim dicat, Polycletum non esse suppositum illud,
quod statuam fabricet, quemadmodum dicimus, felem non esse sup-
positum illud quod exurit. Quemadmodum igitur felem dicimus
causam

causam per accidens posteriore significatu, ita & ipsum hominem, qui ignem subjicit ædibus, dicimus causam per accidens exustionis esse.

XV. Sed dices, non omne illud, quod causa moralis vulgò appellatur, ad causam per accidens referri posse, prout ea suprà est definita. Definitionem enim sic habere, *causam per accidens alicujus esse, quod ipsum non agit illud, cujus causa dicitur, sed aliud quid agit, quo factò naturaliter & necessario sequatur alterum illud.* Jam vero & eum qui suadet aut instigat, ut alter aliquid faciat, & eum qui consentit & approbat, & eum qui cum possit, non impedit, & eum qui mandat, causam moralem dici ejus quod alter facit: nec tamen ad eorum actiones, ex. causâ suasionem naturaliter & necessario sequi alteram actionem, ex. causâ, interfectionem hominis. Verum sanè est, si suasio facta fuerit, non continuo necessum esse interfectionem sequi, quemadmodum cum ignis subjectus est ædibus, ignis operatio, ustio scilicet, necessario sequitur. Potest is cui suadetur, nihilominus intermittere: atq; igitur hoc posterius non ex omni parte congruit cum priori. Apparet tamen analogia quædam in eo, quod quemadmodum cum ignis subjectus est ædibus, exustio ædium sequitur, ita cum suatum esset, secuta est ipsa cædes: Et quemadmodum non fuisset secuta exustio, si ignis non fuisset applicatus, ita nec cædes secuta fuisset, nisi aliquis instigasset. Atq; ista analogia vulgò sufficere putatur ad illud, ut ad idem genus causæ revertentur utrumq;. Et is causa per accidens vulgò dicitur, qui ignem subjicit ædibus: & is qui instigavit, ut alter quempiam interficeret, dicitur eodem nomine.

XVI. Sed ne sic quidem omnia illa, quæ ad causam moralem vulgò referuntur, reduci item poterunt ad causam per accidens. Etenim & is causa moralis dici solet, qui cum impedire potuisset, atq; item debuisset, non impedit. Exempli causâ: si quis impedire potuisset, ne homicidium patraretur, nec tamen impedit, is causa moralis dicitur istius homicidii, is vero qui homicidium perpetrat, causa physica. At eundem illū, qui nō impedit, causam per acc. dicere nō licet; si quidem ad superiores definitiones respicere velis. Causa per accidens alicujus is dicitur, *qui quidem nō ipse facit illud, sed tamen aliud quid facit, quod ubi fit aut factum est, sequitur deinde alterum illud.* Vides ita, causam per accidens *agere aliquid.* Is vero qui non impedit, cum posset & deberet, eo ipso

*non agit, sed revera omittit aliquid, quod agere debebat. Quare nec talis qui non impedit aliquid, causa per accidens dici poterit. Si distinctam notionem causæ moralis habere velis, non concipienda est actio quædam, quam causa moralis verè edat. Est quippe quædam causa moralis, quæ non agit, sed quæ omittit aliquid. Nos igitur, ut omnia quæ ad causam moralem vulgò referuntur, sub eâ comprehendi possint, istiusmodi formandam putamus definitionem: Causa moralis alicujus actionis dicitur, qui actionem ipse non edidit, & tamen culpam habet, ac reprehensionem meretur, propterea quòd actio quædam facta est: & rursus qui actionem ipse non edidit, & tamen laudem & præmia meretur, propterea quòd actio quædam facta est. Sic igitur ad causam moralem referre licet, & eum qui instigavit, ut alter interficeret, & eum qui consensit, & eum quoq; qui non impedivit aliquam actionem. Ceterum observandum etiam est, divisionem causæ in physicam & moralem non esse divisionem latioris in strictiora, sed esse distinctiunculam quandam, ortam ex eo quod Latini & hunc vocant causam alicujus, qui verè efficit sive agit quippiam: & illum qui non agit id cuius causa dicitur, & tamen laudem vel vituperium meretur, propterea quòd aliqua actio fit; itemq; qui occasionem modò præbuit, nec laudem vel vituperium meretur. Priori modo dicitur, ignem esse causam usionis: posteriori vero, Helenam fuisse causam excidii Troje, item eum qui instigat ad bellum gerendum, belli causam esse. Ad discernendas autem istas significationes, additæ sunt voculæ *διὰ τινος* sive distinctivæ, *physica, moralis*; quemadmodum etiam aliàs fieri amat. Quoniam vox *oratio* homonyma est, adduntur voculæ distinctivæ, *externa, interna*. Sic etiam, quoniam vocabulum *forma* homonymum est, adduntur voculæ distinctivæ, *substantialis, accidentalis*.*

XVII. Iidem illi Philosophi, quos non repugnare diximus, quò minus causam physicam ad causam per se, & moralem ad causam per accidens revocemus, ipsam causam moralem, quæ cù causa per accidens plerumq; congruit, contendunt aliquà etiam ratione esse causam per se. Suarez ita habet: *Hæc verò causalitas quæ physicè est per accidens, moraliter & imputativè reputatur per se. De causâ ergò morali hoc modo sumptâ, nihil ampliùs à nobis dicendum est, quia quatenus est per accidens physicè, non cadit sub scientiam: quatenus verò est per se in genere moris (morum) ad scientiam moralem spectat ejus consideratio, non ad Metaphysicam. Sic & Ruvio II. Phys. c. VII. tr. 4. q. 10. notat, nihil impedire, quo minus id quod*

quod in genere causæ Physicæ est causa per accidens (ut homo qui ignem subjicit ædibus) in genere causæ moralis sit causa per se. Si igitur cum istis loqui libet, habemus jam novum, eumq; ni fallor, *quartum* significatum vocum, *causa per se, causa per accidens*. Is qui ignem subjicit ædibus, secundum superiorem definitionem est causa per accidens incendii: nunc verò idem ille causa per se est dicendus. Quid igitur hic significabit *Causa per se? talem*, ut apparet, *cui aliquid revera imputandum est, quig; pœnam vel præmium meretur*. An verò causæ per se isto modo acceptæ putabis aliquid ex adverso poni posse, ut causam per accidens? Si ita velis, sanè incendii causa per accidens erit ignis: homo autem qui subjicit ædibus, causa per se. Animadvertimus vulgò ita permutari ῥήσις: hominem si physicè rem consideres, esse causam per accidens, ignem esse causam per se: eundem verò hominem, si moraliter sive in genere morum rem consideres, esse causam per se, ignem vero causam per accidens. An autem eodem modo dicere licebit, hominem qui instigavit ut alter interficeretur, esse causam per accidens, si physicè res consideretur, homicidii cujusdam: eum autem qui perpetravit, esse causam per se? deinde si moraliter res consideretur, hominem qui instigavit esse causam per se: hunc verò qui perpetravit, causam per accidens. Talem qui instigat, ut alia actio fiat, reduximus supra ad causam per accidens: idq; satis convenienter philosophorum nostræ ætatis menti. Secundum præsentè doctrinã autem, is causa per se est dicendus: quod ipsum nõ satis commodũ videtur. Sic enim culpa ab eo qui perpetravit, removèbitur, & in solum hunc qui instigavit, transferetur; id quod non potest. Vel certè in ipsum transferetur præcipua; id quod itidem non semper potest. Sed si accuratè rem consideremus, apparebit nihil opus esse novissimã istã distinctione causæ per se & per accidens uti. Non tantum enim incommodæ istæ ῥήσις exhibunt, de quibus dixi, hominem qui instigavit, esse causam per se, qui verò perpetravit homicidium esse causam per accidens: sed aliud quoq; est, quod movere nos possit, ut eã distinctione abstineamus; id puta, quod causa per se & per accidens isto modo dictæ ne quidem quod ad notionem efficientiæ inter se congruere possunt. Sanè quemadmodum hominem qui ignem subjicit ædibus, causam per se vocant incendii, ita & homo qui non impedit incendium, cum possit & debeat, causa per se dicendus erit. Hic autem non facit aliquid, nec propter τὸ agere, causa dicitur, sed propter τὸ omittere

actionem aliquam. Monuimus nos paulò antè, cum quispiam causa alicujus actionis dicitur, id dupliciter posse intelligi: vel ipsum edere istam actionem: vel modo culpam habere propterea quod ista actio fit; sive jam is qui hoc posteriore modo causa dicitur, agat aliquid, quo factò sequatur altera ista actio, sive omittat aliquam actionem, quàm omisâ altera ista actio itidem sequatur. Sufficit igitur sic loqui: hominem sive is ignem applicet ædibus, sive, cum potest ac debet, operationem ignis non impediat, veram causam (alii causam per se vocant) incendii esse, si voce *causa* talem significare velis, *qui peccarit & culpam habeat, propterea quòd alia actio sive operatio existit*: non autem esse veram, causam incendii, si per *causam* intelligas aliquid *quòd efficiat*. Ad *πλοσημίαν* vocis *causa* demonstrandam addere quoq; deinde licet voculas *διαχειριτὰς*, *physica, moralis*: dicereq; hominem qui non impedivit incendium, cum posset ac deberet, *causam moralem* esse incendii, ignem verò esse *causam physicam*.

XVIII. Ad causam per acc. reducebamus suprà, doctrinæ Philosophorum nostræ ætatis satis convenienter, eum qui instigat, hortatur, rogat. Addidimus item, quæ causa & occasio sit, cur is qui suadet, instigat, rogat, *causa per accidens* dicatur; quòd nim. suadentis, instigantis, rogantis actionem sequatur altera ista actio, cujus causa per accidens dicitur is qui suadet, instigat, quemadmodum actionem ejus qui ignem subjicit ædibus, sequitur deinde ipsius ignis actio, cujus is qui ignem subjicit, causa per accidens dicitur: quòdq; non secuta esset ista actio, ad quam quis instigavit alterum, nisi instigatio præcessisset, quemadmodum nec ignis ista operatio existisset, nisi aliquis applicuisset ædibus. Isti igitur doctrinæ subjungendum nunc videtur, quomodo eadem ῥῆσις *causa per acc.* porrò traducta sit ad alia quædã, hoc est, qui fiat, ut febris vulgò causa per accidens temperantiæ dicatur: ut item eodem nomine appellentur alia quædã. Si propriè loqui velimus, homo suadet, instigat, rogat; is, inquam, qui oratione uti potest externâ. Impropriè autem & *μεταφορικῶς* accidentia quoq; dicuntur suadere, ut aliquid agamus, aut omittamus. Notum est vulgatum illud:

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Lucanus ait, *egestatem suadere nefas*. Similiter Lucretius, *paupertatem multa suadere*. Jam verò is qui propriè suadet, causa per accidens dicitur

dicitur ejus quod suavit, quodq; postea effectum est. Hinc porro fit, ut illa quoq; quæ improprie dicuntur *suadere*, *causæ per accidens* dicantur. Sic egestas est causa per accidens sceleris cujusdam: quia suadet quasi egestas, ut scelus perpetretur, ad egestatem scilicet sublevandam. Sic & illa, per quæ commoda agendi occasio existit, *causæ per accidens* dicuntur: quod ea improprie dicantur *suadere*. Nox sive tenebræ sunt causa per accidens sceleris cujusdam: propterea quod tenebræ commodam agendi occasionem præbent, & suadent quasi, quodq; si ista agendi occasio non existisset, scelus non fuisset perpetratum. Sic & scientia est causa per accidens superbiæ: mali mores, bonarum legum: pœnæ & præmia, rectarum actionum: morbus aut periculum, pietatis: febris, temperantiæ. Dicuntur omnia ista causæ per accidens, propterea quod eadem improprie dicantur *suadere*, ut aliquid fiat, quodq; si nõ existerent illa, neq; ea existerent, quorum causæ per accidens esse dicuntur. Vulgo solent hujusmodi formare Canonem: *A Causis per accidens non valet consequentia*. Deinde subjiciunt tale exemplum: Febris affert temperantiam. E. febris est bona. Quæ verò causa sit & occasio, cur febris causa per accidens dicatur temperantiæ, id non perinde addunt. Nunc vera ejus occasio liquere sic potest; febrem puta causam per acc. dici, quia suadet illa, quamvis improprie, ut is qui febris laborat, temperanter vivat, quodq; nisi febris existeret, nec homo temperanter viveret. Illi qui exemplum regulæ subjiciunt, exprimunt ita, Febris affert temperantiam.

XIX. Apud Scriptores, & in vulgari sermone observare licet, his quæ improprie suadere dicuntur, adscribi eas actiones quas suadent. Suprà diximus, *Scientiam esse causam per accidens superbiæ*, & suadere quasi, ut quis alterum præ se contemnat. Id S. Paulus I. Cor. VIII. ita exprimit, *ἡ γνώσις Φυσιῶν scientia inflat. τὸ Φυσιῶν inflare* & ipsum hic improprie dicitur pro *superbum facere*. Istud autem *superbum facere* veram actionem significat, efficientiam puta superbiæ. Quæ actio Diabolo & ipsi homini adscribenda est. Diabolum tale vitium in homine, nisi hic per Spiritum S. resistat, efficere posse, exemplo Davidis constat. Deinde ipsi homini competit ea actio. Ipse enim per pravos quosdam actus sibi causa est ut aliorum vitiorum, sic & superbiæ. Scientia autem, quâ homo præditus est, & ipsa dicitur inflare sive *superbum facere*: quia homo credit sibi *superbiendum esse*, seq; alios merito

con-

contemnere, propterea quod scientiam quandam habet, quam non habent alii. Ipse homo se inflat, & superbiam in se efficit. Non faceret autem, nisi scientiam quandam haberet, & nisi scientia fraderet quasi, ut superbus esset. Hinc & ipsa scientia inflare dicitur. Eadem actio, quæ Diaboli & hominis est, superbiæ adscribitur. Malos mores diximus causam per accidens esse bonarum legum. Suadent nimirum mali mores, ut bonæ leges ferantur: & leges sæpe non ferrentur (neq; enim opus esset) nisi mali mores existerent. Vera autem causa bonarum legum sunt ipsi homines, qui leges ferunt. Ceterum quod dixi, malos mores causam per accidens esse bonarum legum, id talibus quoq; verbis solet exprimi, quæ efficientiam significant. Dicimus enim, *ex malis moribus bonas leges nasci*. Præmia & pœnæ, quas causas per accidens rectorum actionum diximus, vulgo dicuntur homines in officio retinere.

XX. Nec aliter illis quæ propriè dicuntur suadere, instigare, aut simile quid facere, quæq; causas per accidens, & morales supra vocavimus, adscribuntur eæ actiones, quas suaserunt, sive ad quas instigarunt; quæ tamen propriè causis per se competunt. Joh. XIX. de Pilato dicitur, eum apprehendisse & flagellasse Jesum; cum tamen id non ipse Pilatus fecerit, sed ejus mandato fecerint milites. In ejusdem cap. v. 19. dicitur, Pilatum scripsisse titulum, & posuisse super crucem; cum tamen id non fecerit Pilatus ipse, sed ministri. Quamobrem etiam, quod Joh. c. XIX. dicitur, *ἔθηκεν ἐπὶ τῷ σταυρῷ*, id Matth. XXVII. 37. dicitur *ἐπέθηκεν ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγεμεμένην*; id quod de militibus est intelligendum. Davidi, qui Uriam occidendum curaverat, hujusque causâ per accidens fuerat, II. Sam. XII. 9. dicit Nathan: *Uriam Chitæum בחרב הכית בחרב* *percuisti gladio*. Occiderant hominem Ammonitæ. Unde mox etiam sequitur: *ארתו הרגתו* *עמו* *בחרב בני עמו* & *ipsum interfecisti gladio filiorum Amnon*. Sic & de Judæis qui Christum occidendum curaverant, Act. III. 15. & c. IV. 10. dicitur, ipsos Christum *interfecisse, & crucifixisse*. Atq; ista de mandantibus & procurantibus aliquam actionem dicuntur. Sic autem & de consentientibus & approbantibus aliquam actionem eadem S. Scriptura loquitur; ut vocabulum actionem aliquam significans tribuat his, qui modò consenserunt, & approbarunt. Jud. IX. 19. verba Jothami ad Sichemitas sic habent: *Vos insurrexistis adversus familiam patris mei, & interfecistis filios ejus qui erant LXX. Viri*. Interfecerat suos fratres Abime-

v. 5. ejusdem cap. dicitur. Sicheimitæ autem approbaverant factum, atq; etiam juerant. Nam in v. 24. dicitur, eos *roborasse manus Abimelechi ad interficiendum fratrem*. Sic & II. Sam. III. 30. Joab & Abifai dicuntur occidisse Abnerum. Occiderat hunc Joab, ut ex v. 27. constat: Abifai autem consenserat. Non verò, malæ modò actiones tribuuntur his qui mandarunt, aut procurarunt, aut consenserunt, sed etiam actiones bonæ, itemq; *אֲלֹפֶקֶי*, talibus tribuuntur. De Josepho dicitur Gen. XLVI. 29. *וַיִּבְרַח יוֹסֵפִים וַיִּבְרַח יוֹסֵפִים* junxit Josephus currum suum. Elias I. Reg. XXI. 15. jubetur *ungere Hazælem*. Nec tamen id ita intelligendum, quod ipse debuerit ungere, sed quod curare deberet ungendum: quod ex eventu & executione quæ II. Reg. VIII. describitur, intelligi licet. Joh. VIII. 1. dicitur, Phariseos audivisse, quod Christus plures discipulos faceret, quàm Johannes, & baptizaret. Christus autem non ipse baptizavit, sed ejus mandato baptizantur discipuli.

XXI. Priusquam definamus, operæ pretium fuerit brevi monere de eo, quod non semel ventilatum scimus, *an causa per accidens sit vera causa*: quo de supra quoq; nonnihil dixisse meminimus. Quidam nullà distinctione præmissâ, pronunciant causam per accidens non esse veram causam. Phil. Melanchthon lib. II. Phys. ita scripsit: *Causa per accidens re ipsâ non est causa, sed sic propter quandam vicinitatem appellatur: Causa per se est proprie causa*. Sic & Suaretz disp. XVII. sect. 2: *Causa per accidens non est vera causa, sed per quandam habitudinem vel similitudinem aut conjunctionem cum causâ sic appellatur*. Idem etiam intelligitur ex eo, quod Causam definiunt, quod sit *principium, quod per se importet influxum in esse causati*: adduatq; *hac definitione excludi omnes causas per accidens*. Quod ipsum sic etiam amplius explicant, *causas per accidens equivocè dici causas, & id per accidens esse quippiam alienans & tollens rationem cause*. Nos existimamus si ad propositam quæstionem respondendum sit, distinguendum antè, variasq; significationes vocabuli exponendas esse, quod ubi factum est, respondendum deinde esse, *causam per accidens aliquo significatu veram causam esse, alio autem veram causam non esse*. Sed ad illud quoq; videtur attendendum, cum quæritur, an causa per accidens sit vera causa, per veram causam intelligi *causam que efficiat, id cujus causa dicitur*. Cum primò institueremus de causâ per se & per accidens agere, monuimus, vocem *causa* hic æquipollere *efficienti*, & æquè strictè

chom

D

nunc

nunc nuni. Cum igitur de efficiente per se & per accidens agere animus esset, uisuros nos vocabulis *Causa per se, causa per accidens*, quemadmodum & alii solent. In superioribus proposuimus primò ejusmodi definitionem, quòd causa per accidens alicujus effectus dicatur suppositum quoddam, si hoc non denominatum sit ab istà qualitate quæ ad producendum istum effectum ultimò requiritur. Addidimus deinde exempla: Polycletum esse causam per accidens statuæ; hominem item, animal, musicum, album, causas per accidens esse ejusdem statuæ. Si igitur secundum ista intelligas causam per accidens, est ea vera causa. Quod cum asserimus, illud volumus, verè eam efficere. Vox *Causa* enim hîc utiq; *pro efficiens* significat. Polycletus, qui causa per accidens statuæ dicitur, est ejusdem vera Causa efficiens. Is item homo, cui Polycleto nomen est, vera causa est. Porro istud animal, cui Polycleto nomen est, vera causa statuæ est. Si item is qui statuam fabricet, musicus sit, musicus est vera causa statuæ. Si dicas, Polycletum tamen non esse causam statuæ, quatenus homo, aut quatenus animal est, aut quatenus sit musicus, sed quatenus statuarius, sive arte statuariâ instructus: respondeo, hoc nihil quicquam obstare, quo minùs Polycletus, homo, animal, musicus, veræ causæ dicantur. Quamvis enim necessum sit, suppositum arte statuariâ instructum esse, si statuam fabricare velit: non tamen ars ipsa dicenda est efficere, sed suppositum quod artem habet, efficere dicendum est. Sic & cum homo ambulat, ipse homo ambulare dicitur, non facultas ista, per quam ambulat. Sanè suppositum est vera causa actionum suarum. Unde etiam actiones eidem vulgò adscribi solent; non illis, per quas agit, facultatibus. Quam in rem insignis locus est Aristotelis in lib. I. de animâ t. 64: *Dicere irasci animam, simile est ac si quis dicat, eam texere, vel edificare. melius enim fortassis est, non dicere, animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem animâ.* Porro etiam asserendum est, causam per accidens esse veram causam, si per eam intelligas suppositum præter intentionem aut ex improvîso agens. Exempli gratiâ: si quis gladium stringens, ex improvîso quempiam lædat, is causa per accidens dicitur. Est autem idem ille vera læsionis istius causa efficiens. Neq; n. alius fecit, quàm is ipse, qui ex improvîso fecit. Dicitur & tegula causa per accidens, si ea decidens ex tecto, in hominem fortè transeuntem cadat, eumq; lædat: quia id quoq; quasi præter intentionem regulæ fit, utpote cujus quasi intentio ac appetitus naturalis modo

modo hic erat, ad terram ferri, & centro ejus fieri propiorem.

XXII. Negandum deniq; est, causam per accidens esse veram causam, si eam sic explices, ut supra num. X. a nobis est factum: id puta, causam per accidens alicujus dici, quod ipsum non facit illud, cujus causa dicitur, sed aliud quid facit, quo facto necessario sequitur ista actio, cujus causa per accidens dicitur. Exempli gratiâ: si quis lapidem ligno impositum moveat, & lignum deinde aquis innatet, is causa per accidens est hujus posterioris, propterea quod aliquid fecit, quo facto necessario secuta est ista posterior actio. Item, si felis ignem applicet ædibus, & deinde oriatur incendium, felis hujus posterioris causa per accidens dicitur, propterea quod aliquid fecit, quo facto necessario factum est incendium. Tales igitur causæ per accidens, non sunt veræ causæ ejus, cujus causæ per accidens dicuntur. Qui lapidem removet, ut lignum innatere possit aquis, non ipse aquis innatat: neq; igitur innationis hujus potest vera causa esse. Homo qui ignem applicat ædibus, non ipse exurit ædes, sed ignis exurit, quem is applicuit. Quare nec homo cum causa per accidens istius uxustionis dicitur, vera ejusdem causa efficiens esse putandus est. Ad causam per accidens hoc postremo significatu, reduximus quoq; eum qui suadet, instigat, rogar, mandat, ut alter aliquid faciat. Si illud quod quis suavit, alter faciat, is ipse qui suavit, causa per accidens dicitur ejus, quod fecit alter: quia quemadmodum non secuta fuisset exustio ædium, nisi homo aut felis applicuisset, ita nec id quod quis suavit, effectum fuisset, nisi quis suavisset. Talis igitur causa per accidens, & ipsa non est vera causa. Non enim is qui suavit, ut alter quempiam interficeret, interfecit ipse. Si quis vocabulis non satis assuetus sit, mirum illi videri possit, quod nos dicimus, hominem non esse veram causam exustionis ædium, nec interfectionis ejus, quam suavit. Denuo igitur monemus, ut notiones vocabulorum probe capiantur. Causa potest significare id quod facit, sive efficit aliquid. Talem notionem habuit Tullius, cum in lib. de fato scripsit: *Causa est quæ efficit id cujus est causa: item, quæ alicui efficienter antecedit.* Hoc igitur imprimis observandum est, nos cum talem hominem qualem diximus, veram causam exustionis, aut interfectionis esse negamus, intelligere aliquid, quod verè efficiat. Neq; mirum nunc esse potest, id ita a nobis dici. Nimirum non ipse homo exurit ædes, sed id facit ignis. Non, item ipse ille qui suavit, interfecit, sed interfecit is, cui suavitum erat. Rur-

sus

suo tamen non omnino negabo tibi, nonnisi exactionis admittentem
 veram causam: eum item qui instigat, ut alius quempiam interficiat,
 veram causam esse. Ne vero sic autumes, nos non satis constanter sen-
 tire, dum modo negamus, modo affirmamus, hominem veram causam
 esse: scire te velim, vocabulo *causa* nunc paulo aliter nos uti. Latinis
causa etiam dicitur, *quicumq; culpam habet, propterea quod aliquid est fa-*
ctum, sive iam ipse fecerit, sive alius aut aliud: item, *qui modò occasionem*
præbuit alicujus. Sic Tullius alicubi loquitur: *Ut Helena Trojanis, sic iste*
Reip. causa belli, causa pestis & exitii fuit. Vides, Helenam causam belli,
 atq; item excidii Trojæ dici; cum tamen ea nec bellum gesserit, nec Tro-
 jam exciderit. Sic & eum qui suavit, ut bellum gereretur, unde postea
 pestis & exitium enatum est Reipublicæ, Tullius causam belli, causam
 pestis & exitii vocat. Ad hunc igitur modum hominem qui ignem subjecit
 ædibus, & eum item, qui instigavit, ut alter quempiam interficeret, ve-
 ram causam exultionis ædium, itemq; homicidii esse, minime nos nega-
 mus. Porro vero, quemadmodum illa, quæ propriè dicuntur suadere,
 causæ per accidens dicuntur ejus, quod suaserunt, ac postea effectum
 est: ita & illa quæ impropiè dicuntur suadere, causæ per accidens dicun-
 tur. Tales igitur causæ per accidens & ipsæ non sunt veræ causæ, hoc
 est, ipsæ non efficiunt illud, cujus causæ dicuntur. Exempli gratiâ: eru-
 ditio inflat, hoc est, suadet quasi, ut quis superbiat, & alios præ se con-
 temnat: & propterea causa per accidens dicitur superbiæ. Ea tamen
 vera causa superbiæ non est, sive superbiam non efficit, sed superbiam
 in se efficit ipse homo, & deinde quoq; Diabolus. Mali mores sunt
 causa per accidens bonarum legum: quia suadent quasi, ut leges feran-
 tur. Isti vero bonarum legum vera causa non sunt, sive bonas leges non
 efficiunt; sed vera harum causa sunt ipsi homines, qui leges ferunt. Ad-
 scribam ad extremum de his talibus dissertatiunculam Cornelii Martini,
 quam is in libello Metaphysico proposuit. *Efficientem, inquit, posse esse*
per accidens, manifestum est vel ex communi sententiâ, quæ ex malis moribus
bonas leges natas esse dicimus: quod per se malis moribus competere non potest;
aliàs essent boni. Ita & pestis multis fuit causa pietatis: neq; tamen id per se,
sed per accidens. Sicut apud Paulum scientia inflare dicitur, quod rectè anno-
tat D. Philippus, per accidens dici. Neq; enim eruditio est causa efficiens
per se superbiæ, aliàs à Diabolo esset: sed per accidens
in aliquibus tantum individuis.

dicitur ejus quod suavit, quodq; postea e
 illa quoq; quæ improprie dicuntur *suade*
 Sic egestas est causa per accidens sceler
 egestas, ut scelus perpetratur, ad egestat
 illa, per quæ commoda agendi occasio e
 quod ea improprie dicuntur suadere.
 accidens sceleris cujusdam: propterea
 agendi occasionem præbent, & suad
 occasio non exstitisset, scelus non fuiss
 est causa per accidens superbiæ: mali m
 & præmia, rehtarum actionum: morbus
 temperantiæ. Dicuntur omnia ista causa
 eadem improprie dicuntur *suadere*, ut ali
 illa, neq; ea existerent, quorum cau
 Vulgo solent hujusmodi formare Cane
valet consequentia. Deinde subjiciunt tal
 perantiam. E. febris est bona. Quæ ver
 causa per accidens dicatur temperantiæ,
 vera ejus occasio liquere sic potest; febr
 quia suadet illa, quamvis improprie, ut i
 vivat, quodq; nisi febris existeret, nec h
 qui exemplum regulæ subjiciunt, exp
 perantiam.

XIX. Apud Scriptores, & in vulg
 quæ improprie suadere dicuntur, adsci
 Suprà diximus, *Scientiam esse causam p*
 quasi, ut quis alterum præ se contemnat
 exprimit, *ἡ γνῶσις Φυσιῶν Scientia inflat.*
 improprie dicitur pro *superbum facere*.
 veram actionem significat, efficientiam
 Diabolo & ipsi homini adscribenda est
 mine, nisi hic per Spiritum S. resistat,
 constat. Deinde ipsi homini competit e
 quosdam actus sibi causa est ut aliorum vi
 tia autem, quæ homo præditus est, & ips
 facere: quia homo credit sibi superbiæ

hinc porro ut, ut
accidens dicantur.
 quia suadet quasi
 evandam. Sic &
accidens dicitur:
 ræ sunt causa per
 e commodam,
 q; si ista agendi
 Sic & scientia
 a legum: pænæ
 pietatis: febris,
 propterea quod
 si nõ existerent
 ns esse dicuntur.
per accidens non
 febris affert tem
 casio, cur febris
 addunt. Nunc
 m per acc. dici
 rat, temperanter
 ter viveret. Illi
 febris affert tem

ervare licet, his
 s quas suadent.
 rbiæ, & suadere
 I. Cor. VIII. ita
 re & ipsum hic
superbum facere
 e. Quæ actio
 e vitium in ho
 exemplo Davidis
 nim per prayos
 perbiæ. Scien
 sive superbum
 q; alios merito
 con

